

principium motus, quales sunt species objectorum; et ideo habent gradum vitæ altiolem, id est, cognoscitivum, et sensitivum. Intellectiva autem, non solum acquirunt, et se determinant ad executionem motus, et ad acquisitionem objectorum per species, sive impressas, sive expressas; sed etiam ad acquisitionem finis: quia non supponunt determinationem finis a natura, sed sibi finem præstituunt, et ad illum se determinant; quod quidem, ut ibi dicit S. Thomas non fit, nisi per rationem, et intellectum, cujus est cognoscere proportionem finis, et ejus quod est ad finem, et unum ad aliud ordinare.

XXXV. Ratio autem, cur ista determinatio, et motio sui ad finem, solum possit fieri per rationem, et intellectum, ea est, quam insinuat S. Thomas et diximus supra: quia id quod se movet ad finem, illumque sibi præstituit, et ad illum se determinat, supponi debet, quod ex se, vel a natura, non sit determinatum ad finem, sed indifferens, et sic determinari debet indifferentia ejus. Unde uti debet principio determinativo hujus indifferentiæ, et indeterminationis. Principium autem, est iudicium, non coarctatum, et alligatum solum ad unum, sed adæquans ipsam indifferentiam appetitus, ut eam possit vincere; quia si iudicium esset coarctatum, et alligatum, appetitus non esset indifferens, si quidem indifferentia ejus sequitur ad cognitionem ipsam: unde oportet, quod regulativum talis appetitus, sit etiam indifferens, et consequenter arbitrium, et non ex instinctu, et sic erit collativum. Et rursus oportet, quod si est indifferens, habeat voluntas potestatem super tale iudicium, et vis cognoscitiva habeat vim iudicandi de tali iudicio, quia indifferens est, et vertibile; hoc autem pe-

tit vim immaterialem, seu spiritua-lem, et consequenter non brutalem, quia est reflexiva supra se. Ac denique principium, quo aliquis potest sibi determinare finem, et media, cum determinatus non sit, solum potest esse cognitio, et manifestatio ipsa bonitatis, et convenientiæ, comparativa, et respectiva, qua videtur unum præ alio, et consideratur proportio unius cum alio, tam cum ipso appetente, quam cum mediis, ad illum finem ordinatis, ex tali enim comparatione, et collatione, pendet, quod hoc determinate acceptetur, quando voluntas determinata non est, ut videmus ipsa experientia: quia tamdiu homo est suspensus et indeterminatus, quamdiu non cognoscit, et comparat istas convenientias, facta autem collatione, seu consilio, determinatur. Et deinde, quia si aliquis determinatur, non per istam collationem, et comparationem, sed sola absoluta propositione bonitatis objecti, quælibet bonitas proposita moveret, sicut movetur materia a quælibet forma: ergo non præstitueret sibi finem, neque se determinaret ad illum, si quidem supponeretur appetitus, talis esse naturæ, quod immediate ab absoluta bonitate objecti moveretur: ergo posito objecto, sequeretur appetitus, non autem ipse cognoscens se determinaret, et præstitueret finem. Ad præstituendum ergo, requiritur intellectus, et ratio.

XXXVI. Unde etiam colligitur, a quo bono moveantur bruta an solum a delectabili, an etiam ab utili: nam ab honesto, constat non moveri, quia honestum est, quod regulatur per rationem, respondetur enim, quod ab utroque moventur, non comparativo, et collativo modo, cognitio, sed absoluto. Principaliter enim movetur brutum, a bono sibi delectabili, sed non quomodolibet

## ARTICULUS III.

*Quomodo actiones humanæ specificentur a fine: et a quo fine, re moto, an proximo?*

proposito, cum videamus, quod etiam immanissimæ bestię a delectationibus abstinent, verbi gratia, a cibo, et coitu, propter metum, acerbiterque dolorum: sed moventur a delectabili proposito, ut conducente, ad sui conservationem, et esse absolute. Moventur etiam ab utili, id est, a medio conducente ad illam conservationem, et ad illud delectabile consequendum; sicut canis rumpit vincula ad consequendum cibum, et avis colligit paleam ad construendum nidum, non propter ipsam paleam in se. Sed tamen hoc quod est utile, non quærunt, cognoscendo rationem utilitatis, quæ comparativa est ad finem, sicut nec rationem finis comparativam, respectivamque cognoscunt, sed simul cum fine offertur sibi, convenientia medii utilis, seu conducentis per modum absolutæ bonitatis, et convenientiæ, prout est in ipsa re, non sub proportione, et comparatione ad finem, et ita proposito illo objecto, paleæ colligendæ, vel vinculi rumpendi, absolute, et coarctate fertur ad illud, appetitus bruti. Quod si flagellis terreatur, desistit propter malum oblatum, ab illo, quia offertur sibi, determinate conservatio sui, et fuga mali, magisque movet, quam objecti utilis assecutio. Et sic apprehendunt convenientiam, et bonitatem utilis, absolute in se, non comparative: sed materialiter, et entitative, non formaliter respective.

XXXVII. Denique ex dictis constat, an in ipso operante propter finem omnes actiones, propter finem sint, si modo rationali procedunt, etiam ipsa prima volitio finis, de quo egimus articulo præcedenti tractando, quænam sint actiones humanæ, et in physica, quæst. XIII, articulo tertio.

I. In articulo tertio hujus quæstionis affirmat D. Thomas unam principalem conclusionem, scilicet, quod actus humani, in quantum humani, et morales, speciem sortiuntur ex fine, et hoc sive considerentur humani actus, in ratione actionis, prout aliquis active se movet, sive in genere passionis, prout passive movetur aliquis a se ipso. Utrouque modo specificari possunt a fine, quia finis comparatur ad actus humanos, et per modum principii; quatenus in intentione præhabitus, movet ad sui amorem: et assecutionem, et per modum termini, quatenus ad illum in executione habendum, quis movetur, et ibi terminatur ejus motus.

II. Cæterum ad probandam, explicandamque hanc propositionem, et conclusionem supponit D. Thomas unam propositionem, et posta infert, seu colligit alias tres. Præsupponit omnem specificationem, tam in rebus, quam in motibus, sumi ab aliquo actu. Et quia motus distinguitur per actionem, et passionem; actio speciem sortitur ab actu, qui est principium agendi: passio vero ab actu qui est terminus, sicut calefactio actio, est motio a calore; calefactio vero passio, est motus ad calorem. Ex hoc probat suam conclusionem: Actus humani dicuntur tales, in quantum procedunt a voluntate deliberata, quæ utique se ipsam movet, et a se ipsa movetur. Objectum autem talis voluntatis, est finis: ergo principium humanorum actuum, in quantum humani, est finis: et similiter est terminus,

ad id enim terminatur voluntas, quod intendit a principio. Finis ergo specificat actum, ut humanum.

III. Infert tres propositiones D. Thomas. Prima, solutione ad primum: Finis non est aliquid omnino extrinsecum actui, quia comparatur ad illum, ut principium, et terminus, et de ratione actus est, quod sit a tali principio, ut actio; et sit ad talem terminum, ut passio. Secunda, in solutione ad tertium: Idem actus numero, prout semel egreditur ab agente, non ordinatur, nisi ad unum finem proximum, a quo habet speciem, potest tamen ordinari ad plures remotos, quorum unus finis est alterius. Tertia, in eadem solutione: Nihil prohibet actus, qui sunt iidem secundum speciem naturæ, esse diversos secundum speciem moris, et e converso; et hoc ideo, quia fines morales accidunt rei naturali, e contra tota hæc doctrina, difficultates non paucas parit, tam circa principalem conclusionem, quam circa propositionem præsuppositam, per quam probat illam; et circa propositiones consecutas, quas infert. Et reducimus omnes difficultates ad quatuor. Prima, quomodo intelligatur illa propositio præsupposita a D. Thoma, quod actio specificatur ab actu, qui est principium: de quo principio loquatur, de efficiente, an de formali. Secunda, quomodo intelligatur actum humanum specificari a fine, an in fine operis, seu fine proximo, qui est objectum: an in fine operantis, seu fine remoto, qui est causa finalis. Tertia, quomodo intelligatur, quod actio, prout egreditur ab agente, tantum ordinatur ad unum finem proximum, a quo habet speciem, an loquatur de actu in esse naturæ, an in genere morali: et quomodo in genere morali hoc verificetur. Quarta, quæ nam sit principalior, et essentialior species in actu, an quæ sumi-

tur a fine proximo, an quæ a fine remoto, an vero species, quæ convenit actui in esse naturæ: et quomodo distinguantur ipsæ species. Ex hoc enim sumitur fundamentum, et principium, pro moralitate actuum explicanda, de qua agendum est infra quæstione decima octava.

ACTIO NON SPECIFICATUR A PRINCIPIO PRÆCISE EFFICIENTI, SED FORMALI, ET PASSIO A TERMINO FORMALI.

IV. Actionem specificari a principio, et passionem a termino, affirmavit D. Thomas in hoc articulo tertio; a quo autem principio dicatur specificari, non expressit, cum actio a pluribus principiis, possit dependere, scilicet, ab efficiente, formali, finali, etc. Et principium efficiens potest considerari, vel ut pure efficiens, hoc est, ut præcise dans existentiam effectui, et actioni: vel etiam, ut determinans, et formalizans ipsam actionem (quid sit, an etiam specificet, et formalizet effectum, vel non) sicut calidum formaliter, in quarto modo per se calefacit; calefactio autem est actio. Similiter non expressit D. Thomas an specificetur actio a suo principio tantum, excludendo terminum, an vero ab utroque simul, id est, a principio, et termino.

V. Supponimus autem, non loqui D. Thomam in præsentī, de principio, vel termino specificativo, per modum formæ intrinsecæ informantis, sed de specificativo extrinsecō, ad quod tamen dicit ordinem, per se, et ex prædicatis intrinsecis, ipse actus, seu res specificata. Sunt enim quædam res, quæ speciem suam habent absolute, et sine respectu, et ordine ad aliquid extra se, et talia specificantur, per formam

intrinsecam, et actum constituentem se: aliæ vero sunt, quarum propria ratio, et quidditas est erga aliud extra se: quia ad hoc ipsum a natura ordinantur, ut erga aliud se habeant, eique deserviant, verbi gratia, substantia, aut quantitas sunt res, quæ absolute specificantur, sine ordine ad aliud; licet in suo esse, ut existant, dependere possint ab alio: sed non, ut constituentur in suo essentiali conceptu. At vero actus, potentiæ, habitus, motus et similia, ex sua propria ratione, et conceptu intrinsecō, ordinantur ad aliud circa quod versantur, vel cujus aliquid sunt; sicut potentiæ, et actus, versantur circa objecta, et actio est essentialiter emanatio a suo principio. Et in talibus invenitur intrinsece respectus ille, seu ordo ad extrinsecum; id vero, quod extrinsecum est terminat talem respectum, et sic mediante respectu sibi intimo, specificantur intrinsece: dependenter tamen ab extrinsecō, ad quod terminatur. Qui respectus, non est relatio secundum esse, seu prædicamentalis, sed secundum dici, eo quod non est relatio accidentalī, sed in ipsa essentiali, et quidditativa ratione imbibita, cum pertineat ad specificationem. Unde dixit S. Thomas in hoc articulo tertio, solutione ad primum, quod finis non est omnino aliquid extrinsecum actui, quia comparatur ad illum, ut principium, vel terminus, et hoc ipsum est de ratione actus, ut scilicet sit ab aliquo quantum ad actionem, et sit ad aliquid quantum ad passionem. Super quæ verba Cajetani notat, quam vera sit doctrina, quam ipse traderat 1 part. quæst. LXXVII, articulo III, de distinctione quarumdam rerum, quarum rationes constitutivæ, ab extrinsecis non possunt absolvi: et aliarum, quarum constitutio, ab extrinsecis non dependet.

De quo plura diximus in libris de anima, q. II. articulo tertio.

VI. His suppositis, quidam existimant actiones, non posse specificari a principiis, sed magis a terminis, erga quos versantur, vel ab utroque, id est, a principio, et termino. Ita Suarez disputatione XLVIII metaph. section. III. Videturque id deducere, ex Aristotele v physic. docente, motum specificari a termino. Alii existimant actiones specificari a principio, et non a termino. Et nomine principii, intelligunt, id quo agens agit, id est, formam ipsam effectivam. Ita Montesinos super articulum tertium hujus quæstionis, disputat. I, quæst. VII. Alii sumunt specificationem actionis, solum a termino, seu objecto formaliter; quia solum objectum se habet, ut forma actionis, in linea specificandi. A principio vero dicunt sumi specificationem, non formaliter, sed efficienter, vel ea generali ratione, qua omnis res producta habens causas, suum esse habet ab efficiente; vel per modum connotationis cujusdam, quatenus actio est ipsa productio activa termini: productio autem non potest esse, nisi ab aliquo producente: et ideo connotat ordinem ad ipsum. Ita Curiel super hunc articulum tertium, dubio primo.

VII. Dicendum nihilominus est, actionem, ut actio, et sub hac formalitate, qua distinguitur a passione, specificari formaliter a suo principio, non ut præcise efficienti, seu in genere causæ effectivæ respiciente actionem, et effectum; sed ut fundante formalem rationem agendi adæquatam, et propriam ipsi actioni, quod est fundare quantum modum per se, qui fundatur inter efficiens, et actionem, ut cum dicitur calidum calefacit, ædificator ædificat. De hac conclusione videndus est D. Thomas hic arti-

culo tertio, et infra quæst. IX, artic. I, ubi eam expresse docet, et multa alia quæ adduximus in logica, quæst. XXI, artic. IV. Pro ejus autem intelligentia considerandum est, quod principium efficiens secundum præcisam rationem efficiendi intendit dare esse, seu existentiam rei, hoc enim est efficienter producere, id est, rem extra causas, et extra nihil ponere reducendo illam de statu possibilitatis ad statum existentiae. Et sicut dat esse rei productæ, quæ est ejus effectus, ita et suæ actioni, quæ est sua causalitas a se emanans, non per aliam actionem, sed per ipsam. Cæterum, quia esse, seu existentia, non habet speciem, nisi a natura, seu essentia, cui adjungitur, nullum efficiens ita producit esse, seu existentiam rerum, quin etiam producat speciem, et quidditatem ipsam, licet sub existentia. Sed tamen est magna differentia, et latitudo inter ipsa agentia; nam agens increatum, seu prima causa, cum in omnem influat creaturam, non habet pro ratione formali, et specifica, cui adæquetur, aliquam speciem determinatam creaturæ, ratione cujus attingat existentiam ejus, et esse, sed directe attingit ens in ratione entis, cujus proprius actus est existentia ipsa, omnes vero species, et quidditates peculiariæ attingit, ut contentas sub ente, et sub existentia, ratione cujus frequenter dicit D. Thomas quod esse est proprius effectus Dei, et quod causæ creatæ non causant esse, nisi virtute Dei.

VIII. Quod dictum magnam continet profunditatem; non enim negat, quod causæ creatæ, vere producant ipsum esse, seu existentiam rei, alias vere non efficerent, si esse non producerent, sed D. Thomas loquitur (ut semper solet) in sensu formali, et explicat per hoc propriam rationem formalem agendi

in Deo, et in creaturis; quia enim in Deo existentia est essentialis, et intrinseca Deo, formale, et essentialiale in Deo est, et per se quarto modo producere esse, et ipsam rationem entis, quia est primum ens, et ipsum esse per essentiam: et sicut hæc est per se: Calidum calefacit, ita hæc est per se quarto modo: Primum ens producit esse. In creaturis autem esse, seu existentia, non potest esse forma essentialis, formaliter constituens quidditatem, et naturam, sed constitutæ superveniens. Unde oportet, quod formalis, et essentialis ratio operandi, non sumatur in illis, ex ipsa ratione existentiae, seu esse; sed ex ipsa forma constitutiva speciei, quia forma, quæ est principium constituendi, est etiam principium operandi, et unumquodque operatur per formam suam; et juxta modum suæ naturæ, sic est ejus operatio: ideoque in ipsa formali ratione, qua unumquodque constituitur, fundatur quartus modus per se operandi, qui non solum importat puram rationem efficientiæ, quatenus efficiens dat esse, sed rationem ipsam formalem operandi, quatenus adæquatur, et proportionatur, seu conformatur forma talis speciei, et quidditatis, cum tali specie operationis, quia inter se connexionem, et assimilationem habent: similitudo autem, et connexio, et adæquatio, seu proportio, ad formalem rationem, et non ad puram efficientiam pertinent.

IX. Hinc conclusionis positæ fundamentum deducitur, quantum ad duo: tum ad excludendam rationem puræ efficientiæ, a principio specificante actionem; tum ad statuendam rationem formalem in ipso principio effectivo, respectu actionis specificatæ a se. Et primum manifeste probatur, quia efficiens sub præcisa, et pura forma-

litate efficientis, est principium existentiae, dans esse ipsi effectui, et actioni. Existentia autem in nulla re creata, pertinet ad speciem, et quidditatem, sed ad aliquid accidentale; quia in omni re creata, est prædicatum accidentale, quod potest adesse, et abesse rei, nec constituit illam in sua quidditate, sed constitutam extra causas ponit. Ergo principium efficiens, prout est causa dandi esse, seu existentiam, non est principium specificandi actionem, quia prout sic non dat prædicatum aliquod quidditativum, et specificum actioni, sed accidentale, scilicet, quod existat. Et hinc etiam nascitur commune proloquium, quod: Per causam efficientem non fit demonstratio, eo quod ordo, et connexio inter causam efficientem, et effectum, non est necessaria, et per se; sed potest idem effectus a diversis causis efficientibus provenire, sicut idem vivens potest generari ab alio vivente, vel a sole, vel a Deo, etc. eo quod efficiens, ut efficiens, solum dat esse effectui et hoc non est prædicatum specificum, nec propria passio, sed accidentale rei, et sic non fundat connexionem necessariam.

X. Secundum vero manifeste constat, quia omne agens operatur actionem suam, sub aliqua ratione formali, cui adæquatur, et correspondet operatio hujus speciei, potius quam alterius. Et hoc ideo, quia principium operandi quo, est forma agentis, quæ sicut constituit determinatam speciem ipsius agentis, cujus est forma; ita determinatæ speciei operationem postulat, tamquam sibi propriam: emanant enim a forma proprietates, seu virtutes operativæ propriæ talis formæ, et ejusdem ordinis, seu generis, cum illa, et mediantibus virtutibus, propriæ operationes exeunt; fit enim

operatio propria, et adæquata formæ, quia unumquodque est propter suum operari. Unde operatio debet habere proportionem, et conformitatem cum forma in sua specie, et natura. Ergo forma quatenus præbet formalem rationem, et motivam operandi, præbet etiam principium specificandi; quia ex tali proportionem formalis principii, seu rationis formalis operandi cum operatione ipsa, et re operata, resultat determinata specificatio, seu determinatio specifica in ipsa operatione: quia ordo, seu proportio operationis cum formali principio, et ratione agendi, a qua procedit, intrinseca ipsi operationi est, et qualis fuerit ratio agendi, talis erit et operatio, quæ per ipsam mensuratur, et determinatur, ergo principium formale, seu ratio formalis operandi, est principium specificativum operationis; quia est determinativum, et motivum ipsius, et per quod regulatur, et mensuratur species, et ratio ipsius operationis. Non alio autem modo aliquid est principium specificativum, nisi quia est principium determinativum, et regulativum speciei alicujus.

XI. Quod vero attinet ad passionem, quod specificetur a formali termino ad quem tendit; inde constat, quia passio est mutatio in subiecto ad aliquam formam, non enim est sola receptio formæ in facto esse, sola receptio cum transmutatione (si proprie loquamur de passione) ut docet S. Thomas infra quæstione XXII, articulo I, ubi distinguit triplicem modum passionis. Primo generaliter, seu communiter, prout omne recipere, largo modo dicitur pati, etiam si pure perficiatur subiectum, sicut in receptione illuminationis in aere, vel intellectionis in intellectu. Secundo proprie, prout aliquid recipitur cum alterius corruptione, seu abiectione, etiamsi

abjiciatur aliquid disconveniens, et recipiatur aliquid conveniens, ut cum quis abjiciendo ægritudinem, recipit sanitatem. Tertio propriissime, quando aliquis recipit aliquid disconveniens, abjiciendo id quod conveniens est, sicut quis patitur dicitur, cum recipit supplicium, aut pœnam. Sic ergo constat, quod proprie loquendo de passione, debet esse cum transmutatione aliqua, seu motu, et via ad aliquem terminum, rejiciendo alium; et sic debet esse inter terminum a quo, et ad quem, quasi via, et mutatio in subjecto, de uno ad aliud. Ubi autem est via, et tendentia, potest dari terminus materialiter et formaliter consideratus, et plures termini inadæquati, cum sit una via, et tendentia ad omnes: ergo oportebit omnes illos terminos respici sub aliqua ratione formali, in qua uniantur; nec enim plura attinguntur ab uno, nisi sub aliqua formali ratione, quæ una sit. Et illa formalis ratio, sub qua omnes illi termini materialiter, aut inadæquate considerati attinguntur, dicitur unus terminus formalis, quia sub illa induunt omnia illa rationem, formalitatemque termini. Quod vero possint unica tendentia, et motu plures termini inadæquati, vel materiales attingi, constat, quia eodem motu continuo plura loca partialia acquiruntur, quæ unum motum integrant; et eadem alteratione continua, plures gradus seu radicationes caloris acquiruntur; eadem visione plura objecta partialia attinguntur; et sic de aliis sexcentis. Oportet ergo in his terminis assignare aliquam rationem formalem, quæ omnes illos sub una ratione terminandi uniat, et ab illo sumat specificationem, passio.

XII. Dices: Etiam actio essentialiter, et specificative est via, et ordo ad terminum, non solum derivatio a principio, a quo emanat, ergo de-

bet specificari a termino, et non a principio. Patet consequentia, quia id quod est via, et tendentia formaliter, et essentialiter se habet ad terminum ad quem, et ideo passio specificatur a termino, quia se habet ut via, et tendentia ad illum. Antecedens vero certum est, quia actio est medium, seu causalitas, quam producit terminus, ergo est via, et tendentia ad illum, quia est productio illius. Confirmatur, quia terminus se habet ut objectum, et ut determinativum actionis in sua specie, principium autem ut exequens illam, et ponens in esse, ex eo enim est talis actio, quia est ad talem terminum, et inde sumit determinationem suam: ergo formaliter et essentialiter specificatur, et determinatur actio a termino, quam a principio.

XIII. Respondeo distinguendo antecedens: actio ut actio, est via per modum actus secundi ex parte agentis, concedo; per modum potentialitatis, et tendentiæ seu mutationis, nego. Et ad probationem antecedentis dicitur, quod actio est productio, et medium per modum causalitatis, et actus secundi; non per modum potentialitatis, et mutationis, hoc enim pertinet ad ipsam quatenus identice motus, vel passio est. Unde in quantum actio, non consideratur, ut via ex parte subjecti, in quo subjectatur motus seu mutatio: sed consideratur ex parte agentis, ut actus ultimus, et secundus in operando, et sic est causalitas, et medium quo agens active producit, proprie autem, et formalissime non est via per modum mutationis, et potentialitatis. Cum vero infertur, quod talis productio, et causalitas debet specificari a termino, et non a principio, sicut passio, negatur consequentia. Et ratio disparitatis est, quia actio ut actio, respicit terminum ut effectum: passio autem

respicit ipsum ut formam, per quam ipsa mutatio reducitur in actum, et ipsum fieri passionis ponitur in facto esse. Effectus autem ut effectus, non specificat actum, neque potentiam, sed supponit specificatam, eo quod effectus in quantum effectus, recipit esse et naturam, seu speciem, a causa, non dat illi. Quod si specificat, causat speciem, et sic non erit in quantum effectus, sed ut induit rationem causæ, vel principii, seu objecti. Constat autem, quod terminus actionis, ut in re executus, semper consideratur ut effectus, quia sic executive procedit ab actione, et consequenter prout sic non specificat, id est, non causat speciem actionis, sed ab specificata actione procedit, et causatur. Ut ergo terminus specificet actionem, non debet considerari, ut executive procedens ab ipsa, sed ut continetur in virtute, et principio causativo actionis, ibi enim terminus ipse continetur virtualiter, et radicaliter, et ut in principio; et inde primo, et immediate accipit actio speciem, quia inde accipit formalem determinationem, ut talis vel talis speciei sit, quatenus formale principium est, cui actio talis formalitatis, vel speciei proportionatur. At vero passio ut mutatio, seu motus est, ex parte subjecti, habet se per modum fieri, et transitus ipsius termini de potentia in actum, quod fieri terminatur in ipsa forma, cum est in facto esse, et sic ab ipsa forma, ut in facto esse, tamquam ab actu ad quem per se ordinatur, et cui proportionatur illa potentialitas passionis, seu mutationis, potest passio specificari: quia inde accipit determinationem in specie sua motus ille, et passio; cum fieri, et factum esse comparentur sicut imperfectum, et perfectum in eadem forma; quod autem perfectum est, rationem formæ, seu ratio-

nis formalis habet respectu imperfecti, illudque determinat, et formalizat, et hoc est specificare: constat autem quod motus, seu passio in subjecto, est sicut fieri, et sicut forma in tendentia, et via, terminus autem est eadem forma in facto esse, et in statu, et ratione perfecta, et tunc est forma simpliciter; ergo hæc formaliter, et specificative se habet respectu motus, seu passionis, quia ut forma, et determinativum ejus.

XIV. Ad confirmationem respondetur potius determinari actionem, et formaliter a principio, quam a termino, secundum quod actio est, eo quod principium seu forma, quæ tenet se ex parte principii, determinat agens ad talem, vel talem actionem sub tali ratione formali eliciendam; non determinat autem solum quoad executionem, et esse, sed etiam quoad specificationem actionis, eo quod forma ipsa agentis, et virtus præbet formalem rationem, et motivum operandi: ex formali autem ratione sumitur specificatio actus, quia sub illa formali ratione procedit actio in tali specie. Terminus autem, cum sit effectus actionis, necessario supponit ipsam specificatam, et in sua specie constitutam, quando executive terminat ipsam. Unde prout terminus executive procedens, non specificat; sed ad hoc ut terminus specificet actionem, debet considerari ut movens, non ut præcise terminans actionem, sed ut determinans agens ad actionem, sic enim movet ad illam. Hoc autem facit terminus non in se, ut executus et effectus, sed prout virtute continetur in ipsa forma, seu ratione formali, et principio a quo procedit. In se enim solum est effectus actionis, ipsamque supponit in suo esse, et a fortiori in sua natura, et specie constitutam, et determinatam. Et ideo formalis ratio